

Serico palma est. Seres hoc cum vestibus suis, pellibusque mittunt. Secunda Parthico, neque, alia genera ferri ex mera acie temperatur: ceteris enim admiscetur: hac Plinius. Ex quibus palam est, id hoc loco Plinio aciem vocari, quod chalybem etiam Latini appellant, quodque nos corrupto nomine ab acie, vel ab acuendo vulgo vocamus acciaio, quemadmodum & Galli acier, & Hispani acciel suo idiomate dicunt. Huius igitur tum rationibus tum auctoritatibus freti, quoniam apertius a quoniam quam a verbo *τροχον* ortum habere putamus, quanquam etiam eorum opinio, qui a *τροχον τροχον* dictum existimant, non sit omnino improbanda, quod id verbum roborare, durum facere, aciem & mucronem inducere Gracis designet. Sed neque illos quoque, prorsus aberrare crediderim, qui scobem ab acie & mucronibus, dum super lapide rotante acuntur arma, derivasam, stomoniatis squamam esse censent: veruntamen hoc, quod sit lapidis illius ramentis admista, non perinde ac si-
 10 cera probanda videtur. Squama, qua Gracis *λεπίς χαλκός*, Latinis Squama aeris appellatur: Italis, Squama del rame: Nomina Germanis, Kupferschlag: Hispanis, Esquama de cobre. Quae vero Gracis *λεπίς stomονιά*: Latine Squama stomoniatis dicitur: Arabice, Tubel, Batiture sabariam, & Cortex astas: Italice, Squama del stomoma: Hispanice, Esquama de azero.

ῥόντρον.

ÆRUGO RASILIS.

CAP. LI.

Aerugo rafa fit iis modis, in cadum aut aliud consimile vas, acetum quam acerrimum infunditur: superponitur inde in verum æneum vas, praesertim concameratum, si minus, planum: sitque obstru-
 20 tum, nullumque habeat spiramentum: exempto, quo doliolum obturaveris, operculo, decimum post diem insidens aerugo deraditur. Aut aeris lamina in cadis super acetum ita suspenditur, ne ipsum attingat, & totidem post dies raditur. Aut massula aeris, aut lamina una pluresve vinaceis non recentibus, sed jam acescentibus conduntur, & simili modo versantur. Quinetiam ex delimita aeris scobe æruginem facere licet: nec non è laminis, quibus bractea auri conclusa malleo ducuntur, si quis eas aceto resperserit, & ter aut quater verteret, donec æruginem contrahant. Tradunt æruginem in Cypriis metallis gigni, lapidibus quibusdam nonnihil habentibus quibus ærugo efflorescit: adduntque per Caniculæ æ-
 30 stus è quodam specu manare, sed illam paucam, & optimam esse: hanc speluncis effluentem, copiosam quidem & boni coloris, sed vitiosam, quod lapides multos collegerit. Pluribus autem modis adulterant: aliqui pumice admisto, alii marmore, alii atramento futorio. Sed deprehendemus pumicem, aut marmor, dum pollice sinistrae manus madefacto, æruginis portiunculam altero atterimus: siquidem
 40 eam diffundi constat: marmoris autem, pumicisque partes coeunt non dissipant: demumque tractatione crebra, & humoris complexu dealbescunt: quin & dentium appressu: siquidem sincera cedit, laevis, & sine asperitate. Atramentum vero futorium igne coarguitur: namque si fictile, aut lamina adulterata ærugine illinatur & ferventi cinere, aut carbonibus incalcescat alterutrum, mutabitur rubescetque id, quod atramentum futorium acceperit: quod id ustum suapte natura talem fortitur colorem.

ῥόντρον.

ÆRUGO SCOLECIA.

CAP. LII.

Aeruginis, quam vocant scoleciam, duo sunt genera, quædam fossilis est, altera factitia ad hunc modum. In mortario Cyprii aeris dimidiam heminam aceti albi acrisque, pastillo cupreo conterito, donec strigmenti crassitudinem imitetur: deinde aluminis rotundi drachmam unam, cum salis fossilii
 40 translucentis, aut marini quam albissimi, solidique, aut certe cum nitri pari pondere teritur in sole æstuosissimis diebus, sub sydu Caniculæ, donec colorem æruginis contrahat, & concretu strigmentolum fiat: ubi autem se in vermiculorum Rhodiæ similium speciem coegerit, recondito. Efficax, & valde boni coloris redditur, si duas partes urinae veteris, cum una aceti adjeceris, & alia, quæ dicta sunt peregeris. Sunt qui æruginem rasilam, quæ in apparatu non respondit, gummi misto digerant in formas, & ita vendant: quod genus ut vitiosum improbat. Fit & quædam ærugo ab aurificibus, mortario, & pistillo Cyprii aeris, cum urina pueri impubis, qua aurum ferruminant. Antedicta æruginum genera usto æri omnino respondent, sed magis effectu valent. Sciendum fossilis scoleciam præstantissimam esse: derafam sequi: postremo loco factitiam: mordacissima tamen est hæc, & magis adstringens. Aurificum autem ærugo rafa respondet. Æruginis omnes adstringunt, extenuant, excalfaciunt: oculorum cicatrices emendant, lacrymas cient, nomas sistunt, vulnera ab inflammatione tumentur: ulcera ex oleo cera-
 50 que ad cicatricem perducunt: callos, & sordida ulcera purgant, cum melle coctæ: callum fistularum erodunt cum ammoniaco, collyrii modo in eas adactæ: ad gingivarum autem excrescentias, & extuberationem utiles. Magnopere extenuant genarum crassitiem, cum melle illitæ, verum post illitionem spongia ex aqua calida locus fovendus est: resina terebinthina exceptæ, cum ære & nitro lepras abigunt. Uritur ærugo, quamcumque velis minutissime fracta, comminutaque, in fictili patina, flagrantibus prunis superposita: versaturque donec se mutet, & colorem cinereum concipiat: postea refrigerata reponitur ad usum. Sunt qui cruda olla eam urant, uti dictum est: sed non prorsus eundem colorem cremata reddit.

Aeruginem, quod colore sit viridi, officina ac medici in Italia æs viride nuncupant, & vulgari sermone verderame. Verum quamvis officina eo in universum abundent synceri tamen parvi ostendunt. Scolecia æruginis, ac fossilis destituitur: quod altera, quod sciam, hoc tempore non pariter, altera vero ab arariis fodinis ubi fortasse plurima reperitur, a fossoribus non deferatur. Proinde cum harum copia non sit, ea tantum utimur, quæ ære in aceto arii cadis demisso, aut vinaceis jam acescentibus obruto, conficitur. Hallucinantur, qui credunt æruginem, & aeris florem unam, & eandem rem esse, ut superius de æris flore differentes larius ostendimus. Aeruginum vires reddidit Galenus libro 9 simplicium medicamentorum, sic inquit: Aerugo gustantibus acrem qualitatem offert, digerens, detrahens, & liquans, non tenebram modo, sed & duram carnem. Porro supra dictum est nonnullos ejus generis medicamenta epulotica, hoc est, quæ cicatricem inducant, appellare, cum iis in tenuissimum pollinem tritis per specilli cuspide contigerint ulcera excrescentia, ac postmodum contracta reprimant: tamen si illos haud lateat si paulo plus impositum foret, sese ulcus non contractum, sed erosum in-
 60 venturos.

Æruginis
constr.

Æruginis
vires ex
Gal.

venturos. Siquidem colliquat, & digerit carnem: cum medicamentis epuloticis contrahant, constipent, constringant, & calli in morem illam indurant. Quin & gustum mordicat arugo, non tantum ipsa ulcera: quod si pauculum ejus cerato non pauco admisceas, id quod ex ambobus mistum est, citra morsum extergit. Dictum verò supra est de talium medicamentorum natura, tum ut sese quidam fallunt ex talibus compositionibus, aut sarcoticam, aut epuloticam adscribentes facultatem medicamentis, quibus minimè oportet: utpote cum ipsa id prestare nequeant, verum ea, quæ ex ipsis composita sunt. Quæ arugo ἄρϋς ὄν Græcis, Aerugo rasilis Latinis dicitur: Italis, Erugine rasilis. Quæ verò Græcis ὀνόμας, Latinis Aerugo scolecia nominatur: Italis, Erugine scolecia. Arabibus, Ziniar, seu Zengiar: Germanis Spangrün: Hispanis, Cardenillo: Gallis, Verderis & Verdet.

Nomina

ἰσχυρὸς.

RUBIGO FERRI.

CAP. LIII.

10

Rubigo ferri restringit: sistit sceminarum profluvia admodum, potuq; præstat ne concipiant. Illica ex aceto, ignibus sacris, & papularum eruptionibus medetur. Perquam utilis ad scabritias genarum, reduvias & pterygia. Condylomatis prodest, gingivas firmat, podagras illica lenit, alopecias replet. Vinum aquave, in qua candens ferrum sit restinctum, potu coeliacis, dysentericis, lienosis, cholera laborantibus, & dissolutis stomacho auxiliatur.

Στεργίον σιδίρεον.

STERCUS FERRI.

CAP. LIV.

Stercus ferri, quam scoriam vocant, eadem potest, quæ rubigo, sed inefficacius. Aconito aceto mulso potum, opitulatur.

Rubiginis, scorie ferri confid.

Scorie vitæ ex Gal.

Oleum e ferro parandum ratione & vi.

Nomina

Ferrugo, quæ est ferri rubigo, vulgaris notitia est. Ejus similiter scoria, quæ Latinis & stercus, & recrementum ferri & nostris vulgo spuma di ferro appellatur, omnibus notior est, quoniam ut majore indigeat declaratione: hæc namq; prope ferri arias officinas passim in acervum congesta spectatur ab omnibus. Veruntamen ne aliquis fortasse decipiatur, illud nobis indicium non abibit, quod ferri, aut aris, aut argenti scoria non est squama, quæ malleo decurritur. Siquidem hæc ferrariis fornacibus, quibus ferri metallum funditur, indita liquefit, & iterum in ferrum coit. Scoria verò, quod inutile sit ferri recrementum, manet, & spongiarum modo spumofum, nunquam ferrum effici potest. Scoria meminit Galenus libro 9. simplicium medicamentorum sic inquit: Scoria omnis resicatorium admodum medicamentum est, potissimum autem ferri. Siquidem ad lavorem redigens ipsam in aceto quam acerrimo, posteaq; decoquens ad aures, quæ longo jam tempore purè fluxerunt, ea utor, medicamento maxime exicatorio, adeo ut mirentur, qui præparantem me vident, & ante rei periculum fidem non habeant, aures tale posse ferre medicamentum. Porro argenti scoriā proprie hecysma appellant. Verum emplastris quibusdam resicatoria facultatis commiscetur. Paratur e ferro oleum (quidam ferri quintam essentiam vocant) hoc modo. Sumito ferri scobem lima derasam, & ignium vi (ut chymista dicere solent) ad calcis speciem redactam aut hujus vice rubiginis anchora, quæ naves sistuntur, quantum libet. Hæc in tenuem pulverem trita, in aceto acerrimo destillato, in aqua calenti balnei, non tamen ferventis, aut in equino simo calente, in vase vitreo macerato, donec acetum rubicundum fiat. Præterea declinato vase acetum in aliud vas effundito, quousq; clarum effluxerit, & servato diligenter, & iterum super idem ferrum aliud acetum imposito, maceratoq; in balneo, eodem modo ad rubedinem usq; eademq; servata ratione extrahito, & iterum, atq; iterum acetum addito, quousq; nihil amplius ruboris concipiat. Deinde acetum rubicundum factum in distillatorium vas vitreum conficito, & in fornace collocato, cineribusq; obducito, & succenso igne ad destillandum finito, quousq; fluxerit acetum, aqua stillatitia modo: & postea vase e fornace exempto, illud frangito, & ferream materiam in fundo residentem extrahito, terito, & in aliud vas reponito assusa communi aqua, quæ prius destillata fuerit, & simul in balneo præscripto macerari finito, duorum dierum spatia. Eximito deinde, & per filtrum (ut chymista dicunt) destillandum parato, & id omne, quod fluxerit in vase aliquo asservato, quousq; in sal concretum sit, id demum conterito, & in vitreum vas retorti colli, ita a chymistis appellatam, collocato, & valido igne oleum elicito, quod rubrum emanabit. Hoc servato diligenter. Siquidem eximium, raramq; habebis medicamentum, ad omnes Fecinoris & splenis obstructions, ubi ceteris auxiliis morbus expugnari nequeat, sed sumentes prius medicamentis attenuantibus, & alvum subducentibus purgatos esse oportet. Datur Fecinorosis drachma pondere ex aqua Intubi, aut cichorij, aut Agrimonij: lienosis verò ex aqua aspleni, aut adiantbi, aut Tamarisci. Ac ad ea omnia mirifice præstat, ad quæ Rubiginem & scoriam prestare scribit Dioscorides. Ceterum ubi quis per se parare nesciat, Chymistas consulat. Rubigo ferri Latinis dicta, ἰσχυρὸς Græcis appellatur: Arabibus, Seda albadid: Italis, Ruggine del ferro: Germanis, Eysenrost: Gallico, Rouille de fer: Quæ vero Græcis ὀνόμας σιδίρεον, Latinis, Scoria, Stercus & recrementum ferri dicitur: Arabibus, Chabi albadid: Italis, Spuma di ferro: Germanis, Schlacken: Hispanis, Mozo de berrera, & Mozo de fragua.

Μόλυβδος πηλὸς.

PLUMBUM ELOTUM.

CAP. LV.

Lotura plumbi sic fit: In mortarium plumbeum aquam injiciens, pistillo plumbeo terito, donec nigrescat aqua, & limi modo crassescat, aut lutulenta reddatur: linteo deinde colato, aquam superinfundes, quò facilius quicquid est resolutum incerni possit: hoc iterum facito usq; dum satis tibi habuisse videatur: ubi confederit priori aqua effusa, novam adjiciens, ut cadmiam lavato, donec nulla extet nigritia: postea in pastillos cogens reponito. Quidam scobem mundi plumbi lima quæsitam, mortario pistilloq; lapideis terunt, aut manibus cum aqua paulatim adjecta fricant, donec nigrescat: mox ubi id pessum ierit, effusa aqua, colligunt in pastillos: nam tritum vehementer, cerussæ simile redditur. Alii elimatæ scobi modicam plumbaginem adjiciunt, affirmantes ita elotum plumbum præstantius esse. Potest refrigerare, adstringere, inducere, mollire, explere cava, sistere oculorum fluxiones, & ulcerum excrescentia. Sanguinem supprimit: prodest contra sedis ulcera, condylomata, & hæmorrhoidas, ex rosaceo: item ad ea, quæ agrè cicatricem ducunt: & in totum spodi effectus præbet, nisi quod non obducit crustas. Syncerum plumbum affricu, marini scorpionis, draconisque plagis auxiliatur.

Μόλυβδος.

URitur plumbum sic. Super quàm tenuissimas plumbi laminas, fistili novo inditas, sulphur inspar-
gito: additisq; aliis rursus laminis, interjecto semper sulphure, usque dum vas expleveris, succen-
dito: flagrante autem plumbo, ferrea rude versato, donec perfecte redigatur in cinerem, nihilq; e plum-
bo nonustum hæserit, tum demum obstructis naribus eximito: alioquin halitus plumbi noxius senti-
tur. Aut elimatam plumbi scobem in olla sulphure urito. Alii laminas in fistili crudo, ut dictum est, im-
ponunt fornaci, aut foco, & circumlinentes operculum, dato exili spiramento, urunt. Alii pro sulphure
cerussam, aut hordeum inspergunt. Alii integras laminas imponentes, acri igne utuntur, & rudicula
ferrea continuè movent, dum in cinerem solvantur. Sed difficilis huiusmodi ustio, & si vehementius
uratur, contrahit spumæ argenti colorem. Magis tamen nobis placet prima urendi ratio. Plumbum
ustum lavatur ut cadmia, & reconditur. Eisdem effectus habet, quos plumbum elotum, sed multò
acriores.

Recrementum plumbi, quod scoriam vocant, optimum est, densum, fractu contumax, cerussam pla-
nè repræsentans, nihil plumbei habens, quod ad luteum colorem accedit, & vitri splendorem imi-
tatur. Eadem quæ plumbum exustum potest, sed magis adstringit. Lavatur in mortariis infusa aqua, &
refusa summa aquæ parte, quæ luteum colorem duxit: idq; sæpius, dum recrementum absumatur.
Dein ubi confederit crassamentum, aqua effusa, digeritur in pastillos.

Molybdoides lapis à plumbi similitudine dictus, respondentem recremento vim habet, & eodem
modo lavatur.

30 **P**lumbi abluendi, atq; etiam comburendi ratio, adeò lucidè constat à Dioscoride prædicta, ut opera pretium non sit plu-
ra de ea referre. Verumtamen animadvertendum est plumbi recrementum, quod Dioscoridi scoria vocatur, non esse
plumbaginem, quæ excrementi instar, ubi plumbum igne liquefit, ab eo secedit. Quippe quod hæc nil aliud sit, quàm
purissimum plumbum, quod ignis ustione, cineris speciem induit. Hæc enim in Plumbarius officinis in purissimum plumbum
facile redigitur, quem admodum & argenti spuma. Plumbi itaq; scoria sit tantum in fornacibus, ubi plumbi lapis metal-
licus funditur. Siquidem hoc probe fuso, artifices plumbum, quod inde effluxit, in scrobiculam extra fornacem delabi si-
nunt. Ubi verò adhuc calens concrevit, aqua frigida persunditur, quousq; scoriam exuat: quæ (ut Dioscorides inquit)
densa admodum est, & fractu contumax, colore in luteum vergente, & vitri splendorem præseferens. Huius complures vi-
dimus acervos in Tridentino agro, ac etiam in comitatu Tirolensi, ubi innumera metallorum fornaces, die noctuq; ignibus
aguntur: namq; in iis locis metallorum recrementa extra officinas abijciunt monticulos ex his struentes. Quod si accidat
metallicos lapides agere igne in fornace liquefcere, scoria huiusce partem admiscet, quoniam huius admisculo citius me-
talla ignibus cedunt. Reperi ego sæpius plumbi, argentiq; scoriam adeò versicoloribus lineis intersectam pellucidamq; ut id
vitri genus, quod vulgò Veneris appellant Smalto omni ex parte reserret. Quare oportet eos, quibus in animo est, certam
& exquisitam harum rerum cognitionem assequi, metallorum fodinas & fornaces adire, non autem ea in pharmacopo-
lis querere, ubi omnia fere metalla & medicamenta spuria & adulterata vitata reperiuntur. Caterum qui Lapidem
plumbarium, sive molybdoidem hodie legitime ostendat, habeo profecto neminem, nisi forte fossilis quoddam cadmia ge-
nus demonstrent, quod plumbum colore imitetur, quale illa, quam vulgò vocant Margheita, designo: quanquam hæc
equidem molybdoidem esse non a sum affirmare, quod nullum latius Molybdoidis historiam scriptis mandasse compererim,
quàm ipse fecerit Dioscorides, qui tamen ejus historiam tam paucis perstrinxit, ut difficile admodum sit decernere, qui-
nam lapis nobis legitimam molybdoidem repræsentet. Et si fortasse non aberrarent, qui dicerent, plumbi lapidem ignem in
fornacibus non expertum, veram esse molybdoidem, quippe quod hic colore, & pondere plumbum maxime referat. De
30 plumbo diffuse satis disseruit Galenus lib. 9. simplic. medic. ubi ita scriptum reliquit: Plumbum facultatu est refrigera-
torio. Siquidem non modò multam habet substantiam humidam à frigore congelatam: sed & æream, paucam autem ter-
ream. Igitur quod plurimum habet essentia humida à frigore coacta, indicium tibi esto, quod ubi admotum est igni, cele-
riter fundatur fluatq;. Quod verò & ærea sit particeps, hoc habeto signum, omnium, quæ novimus unicum plumbum
tum mole ipsa, tum pondere augetur, si condatur in adibus subterraneis, ærem habentibus turbidum, ita ut quæcumque
illic ponantur, celeriter situm colligant. Tum etiam plumbea statuarum vincula, quibus earum pedes annectantur, sæpe-
numero crevisse visum est, & quadam adeò intumuisse, ut ex lapideibus dependerent crystalli modo. Atq; hæc probabiles
quidem sunt humilitatis ejus frigiditatisq; notæ, priusquam experimentum fiat: caterum scientifica, & certa per expe-
rientiam cognoscuntur. Preparato igitur mortario simulq; pistillo, utriusq; ex plumbo, infunde quemlibet liquorem: ita
que terito, ut & pistillus & plumbeum mortarium succum quandam reddant. Id quod ex utroq; constabit, multò erit
frigidius facultate quàm liquor ipse fuerat. Licet autem & aquam, & vinum tenue aqueum, & oleum injicere, aut quid-
vis ejusmodi. At si etiam plus efficere succum voles refrigeratorium, oleum omphacinum sit aut rosaceum, aut melinum
aut myrtinum. Porro si sicco, qui proveniet, uti voles, optimum habebis remedium & ad phlegmonas in sede cum ulcere,
aut ruga & ad eas, quæ in pudendo, testibusq; & umeribus consistunt: similiter adversus ceteras omnes fluxiones incipien-
tes, quæ aut in inguina, aut in pedes, aut in alium quemvis articulum decumbunt. Sed & ulceribus rebellibus utile est.
Nam & ad cancrofa eo utrens, virtutem medicamenti mirabere. Quod si celeriter multum plumbi succi colligere voles,
conare in sole torrere, aut quocumq; certè modo aere excalescere. Ad multa autem utile habebis medicamentum, si adfuso
refrigerantium succorum quopiam teras, seu sempervivi, cotyledonis, intybi, lactucæ, chondryllæ, psyllii, omphacis, portu-
lacæ. Porro si qua horum non facile in succum solvantur, velut portulacæ, misceto illis aliorum succorum quempiam velut
omphacis: quin & ipse per sese prædicto mortario inditus, medicamentum efficit refrigeratorium longè pulcherrimum.

Scoriz
plumbi
confid.Lapidis
plumbi
in confi-
deratio.Plumbi
faculta-
tes ex
Gal.

Quin & in laminam diductum plumbum absq; alio ullo, ipsum per sese ab hietarum sese exercitantium lumbis infertur, ubi veneris somnus vexantur scilicet, nimirum haud obscure eos refrigerans. Sed & bractea ex plumbo tenuis facta, probe ganglio illigata, plane ipsum dissipat. Illigabit autem probe quisque ab Hippocrate didicerit, in ipsam noxam potius firmandum, quam hinc vel inde. Mirum ergo non est, si plumbum crematum, ac rursus ablutum, refrigerantis efficiatur facultatis, cum ante lotionem mista fuerit. Et hoc ipsum medicamen, nempe plumbum combustum, bonum est ad ulcera rebellia. Ubi vero lorum fuerit multo optimum medicamentum est, & ad ulcerum impletionem, & ad eadem cicatrice obducenda. Convenit & chironis qua vocant ulceribus, & cancris omnibus, & putredinosis, tum ipsum per sese, tum medicaminum ad cicatricem perducendum quibusdam commistum, quale est, quod ex cadmia conficitur. Caterum solvendum est principio, si copiosa sit sanies, quotidie: sin minus tertio, aut quarto quoq; die. Verum foris spongiam imposito aqua frigida, quae si desiccetur, rursus mergatur. Sed haec fusius, quam pro instituto diximus, plusculum sermonis affinitate prolegi. At tempus jam est sequentia deinceps persequi: haecenus Galenus. Plumbum elotum sic Latinis *Μολύβδος* & *πλουμβός* Græcè dicitur. Italis, *Piombo Lavato*, Plumbum vero ustum Latine dicitur *Μολύβδος* & *πλουμβός* Græcè, *Piombo abbruciato* Italice vocatur. Quae deinde *Σταβίον* & *σταβίον* Græcè, Latine Plumbi recrementum, & plumbi scoria appellatur: Italis, *Spiuma del piombo*. Quae deniq; *Μολύβδος* & *πλουμβός* Græcè, *Molibdoides* item, & *Lapis plumbarius* Latine nuncupatur, Italice, *Pietra piombaria*.

Σταβίον.

STIBIUM.

CAP. LIX.

Stibium optimum, quod splendidissimum est, modoq; nitedularum emicat, confractu crustosum, nihil terræ, aut sordidi habens, friabile, quod stibi appellant, alii platyophthalmion. Vis ejus adstringere, meatus obstruere, refrigerare, excrecentia in carne cohibere, ulcera ad cicatricem perducere, fordes, & ulcera oculorum expurgare: sistit & sanguinem e cerebri membrana profluentem: & ut in univ- 20
ersum dicatur, vis ullo plumbo similis est. Privatim, ambusta igitur in pustulas erumpere non patitur, cum adipe recenti illitum, crustosas exulcerationes ad cicatricem perducit, cum cera, & exigua cerussa. Torretur pinsita farina circumlitum, & carbonibus obrutum, donec carbunculetur crusta, exemptumque restinguitur mulieris lacte, quæ marem peperit, aut veteri vino. Uritur etiam carbonibus succensis efflatum, quoad igni deflagret: si enim paulo magis concremetur, plumbum fit. Lavatur ut cadmia, & æs. Sunt qui ut plumbi recrementum eluant.

Stibii
confid.

Stimmi, sive Stibium, recentioribus medicis, chymistis, ac seplasiariis, qui Mauritanorum doctrinam sectantur, An- 30
monium dicitur, quod hoc nomine Serapio, & Avicenna Stibium appellaverint. Hujus sedina pluribus locis habentur in nostro Senensi agro, sed praeantissimum seditur in maritimis nostris Massane solo, ac Suanensi: quinetiam in emi-
tatu sancta Flora prope Sylvenam oppidum. Venetias adfertur ex Germania, fornacibus prius fustum, & in massas concre-
tum. Ajunt artifices, qui campanas constant, has edere sonitum magis concinnum, magisq; auribus gratum ac sonorum, si
stibi nonnihil ceteris admisceatur metallis, dum una in fornace liquantur. Iis etiam expetunt, qui vasa de stanno consci-
unt: item iis, qui metalla faciunt, & poliunt specula: iis praeterea qui chalcographis characteres & typos effingunt. Id
tantum differentia esse inter plumbum, & stibium ait Brasavolus Ferrariensis, quod plumbum ignem vi liquefaciat, stibi-
um vero nunquam, sed facile teratur in pulverem. Sed ejus opinionem falsam esse deprehendit experimentum, quando-
quidem stibium igni admotum, perinde ac plumbum colliquescit, & fluit. Cujus rei nos sapimus periculum fecimus, dum ole-
um nostrum ex stibio conficeremus, quo quidem magno successu utimur ad contumacia, sinuosaq; ulcera sananda, ad id
si quidem stibium pluries fundere oportet, ut sincerius puriusq; reddatur. Caterum admonitos lectores volumus, oleum hoc 40
nostrum è stibio paratum, non illud esse, quo chymista argentum in aurum mutari fabulantur, sed aliud ab eo longe diver-
sum: tamen si hoc nostrum ex sese plus auri fundat, quam illud chymistarum. Sed ut ad institutum nostrum revertamur,
mihi plane vanum videtur asserere stibium igne haudquaquam liquefcere. Nam cum quolibet metallo sive ferrum sit, si-
ve chalybs, in fictili fusorio permistum ea celerius eliquandi praebeat materiam. Quam ob causam qui ferreos, sphaericosq;
globos bombardis immittendos è fuso ferro conformant, nisi stibium ferro admiscerent nunquam sanè (ut pro certo asse-
mant) id fluxum facerent. Stibi mentionem fecit Plinius lib. 33. cap. 6. ubi ita scribit: Inisdem argenti metallis inve-
nitur, ut proprie dicamus, spuma lapis candida nitensq; non tamen translucentis, stimmi appellant, alii stibium,
alii alabastrum, alii larbason. Duo ejus genera, mas, & samina: magis probant samina. Horridior est mas, scabriorq;
& minus ponderosus, minusq; radians, & arenesior. Femina contra nitet, friabilis, fissurisq; novis globis dehiscens: haec 50
est Plinius. Stibi vires retulit Galenus lib. 9 simplicium medicamentorum, his verbis. Stimmi ad facultatem desiccantem
ad junctam habet hoc medicamen adstrictionem quamobrem & ocularibus medicinis commiscetur, & illis scilicet,
quae conformantur in collyria quae vocant, & siccis, quae utiq; sicca collyria cognominant: haec Galen. Caterum stibium vim
dejectoriam sortitur praeantissimam: quoniam antiquorum recentiorum nullus praeter unum Theophr. Paracelsum,
hoc literis memoriaq; mandavit, attamen inter antiquiores solus Dioscor. uno tantum loco de Stibi dejectoria facultate
meminisse videtur, capite de agresti Cucumere: ubi sic habet de Elaterio differens: Elaterium bilem ac pituitam utrav-
que extrahit, optima suspiriosis est purgatio, quod si in animo sit dejectionem moliri: adjecto salis duplo & Stibi quod
colore sufficiat, ex aqua crui magnitudine catapotia dato, haec ille. Quare non equidem gravabor in studio forum gratiam
ea hic commemorare de hujus medicamenti viribus, quae vidi, atq; etiam à medicis quibusdam fide dignis accepi. Etenim
Andreas Gallus medicus Tridentinus, qui jam dudum honoratissime medicinam fecit Serenij, Ferdinando Archiduci Au-
striae, Domino meo clementiss. ex multis vigilis magnisq; laboribus, quos in studia, & servitium insumpserat, inciderat in 60
malam valetudinem, nempe in pulmonum, cordis, & ventriculi inflammationem: unde vehemens admodum situs conse-
quebatur, quae nullo quidem potu extingui poterat. Praeterea epiglottidis tumore, & tanta palati siccit. ate vexabatur, ut
vix loqui posset. Quinetiam cordis palitationem patiebatur adeo magnam, ut nocte repente expergescens putaret per
cubiculum aliquem obambulasse. Huius deniq; mali accesserat capitis destillatio, à qua sapius suffocari metuerat. Porro metum
mortis augebant vires, quae tot morbis quasi hostib. obfessa, facile poterant desicere & opprimi, ex eo praesertim quod nullus
esset cibis, qui appetitum languescens excitaret, atq; ita vires instauraret, vel saltem conservaret. Adda quod os & guttur
ejus saporem terrum & carbonib. similem reddebant: quae sanè omnia dicta inflammationis, erant indicium non obscurum.
Cum igitur res sua per aliquos dies ita se haberet, atq; in maximo versaretur discrimine, neq; ullum perciperet levamentum
suarum

Brasavoli
erratum,
Stibium
vires
non li-
quari vo-
lentis.Stimmi
Plinii.Stibii vi-
res ex
Gal.Stibii vis
dejecto-
ria.

Histor. 1.

suarum agitudinum ex multis medicinis factis, ad Stribium, quod Mauritanii Antimonium vocant, me nesciente, confu-
git: quoniam saepe audiverat, medicamentum hoc sibi mirifice commendatum fuisse a Georgio Handschio medico haud
vulgari, qui illius experimentum fecerat in morbis difficillimis. Hac itaq; ratione ductus Stribi in tenuissimum pulverem
reducti, & rhodofacchari exiguo admisti, tria tantum grana sumpsit: atq; parvo post temporis spatio sensit medicamen-
tum illud ventriculi subversionem moliri, ac levem quendam calorem excitare. Mox erupit vomitus, quo solum quasdam
cibi particulas rejecit, etsi superiore die non cenasset. Hunc paulo post alius secutus est vomitus similis, cui successit bilis
flava rejectio ad unciam ferè quatuor pondus. Hac autem omnia evenerunt hora tantum dimidie spatio. Ex quibus ni-
mirum illud cepit juvamenti, quod statim omnis ventriculi labor sedatus est. Ex eo verò quod hora post ter biliosa infernè
excrevit, in quibus crassa quadam residebant (hac simul duarum librarum pondus aquare poterant) factum est, ut ab il-
la cordis palpitatione, capitis fluxione, & epiglottidis tumore statim sit liberatus: qui praeterea neq; sitim molestem ha-
buit neq; cibi fastidium perpeffus est. Quamobrem is corporis salutem ipsamq; vitam in tot morbu deploratam, Deo pri-
mum, deinde huic medicamento acceptam retulit. Alium quoq; Stribium assumpti effectum silentio non dissimulan-
dum mihi narravit idem Georgius Handschius, cujus superius memini. Is enim cum esset pestilentia correptus, ob
idq; maxima totius corporis imbecillitate affectus, cordis tremore, spirandi difficultate, capitis dolore, & sinistri inguinis
abscessu, circa noctis crepusculum Stribi rhodofaccharo admisti tria grana sumpsit: atq; post hora dimidium vomitionibus
rejecit magnam pituitae bilisq; tum flava tum porracea quantitatem, cum prospero admodum successu. Siquidem ex vo-
mitu (sic ille dicebat) statim sublata est spirandi difficultas, ac cordis tremor cessavit. Vomitus deinde subsequuta est co-
piofa alui dejectio sine ulla aegrotantis molestia, post quam reliqua pestis symptomata prorsus evanuerunt, atq; adeo brevi
is fuit integra sanitati restitutus. Id quod etiam alius contigisse scio, qui hoc admirabili medicamento sunt usi in ea pesti-
lencia quae anno 62. & 63. in tota ferè Bohemia grassabatur: siquidem quam plures servati sunt pestilentia affecti, qui An-
timonii hyacinthini nostri, grana tantum quatuor ex antidoti liberantis drachma in morbi principio devorant. Prae-
terea Stribium opitatur omnibus in universum morbis quos atra bilis excitavit, inq; praesertim qui hypochondriacè obti-
nent inflationem. Equidem vidi Prage Bohemorum parochum, qui melancholicus factus plane desipiebat, multa q; stultè
loquebatur. Huic sanè exhibitum fuit Stribium granorum duodecim pondus: quod paulo post copiose atram bilem per al-
vum eduxit, cui erant admista (ut ego qui vidi, vocatus tanquam ad miraculum, testari possum) ramenta veluti carnis,
quae magnos varices in particulas dissectos praeseferant: namq; excrementa illa sanguinem nigerimum representa-
bant potius, quam ullum ex aliis humoribus. Hoc utiq; illi tantam opem tulit, quod postera die visus est belle pristina men-
tis suae sanitatem recuperasse. Et quoniam is erat corpore robusto & animo forti, ideo non est mirum, si facile & sine ullo
incommodo tulerit tantam illius medicamenti quantitatem, quanquam audax nimis fortè habendus est ille, qui eam ex-
hibuit. Datur etiam Stribium utilissimè diuturna febre consumptis, & iis qui spirandi difficultate laborant, praecipue asth-
maticis. Prodest item convulsis, comitialibus, veservosis, resolutis, & in qui colici dolore cruciantur. Extant quoq; apud me
nonnullorum Medicorum Italarum Epistola, quae (Deo optimo maximo duce) prodibunt in lucem, in quibus de Antimonio
admiranda quadam leguntur. Extant & aliorum quoq; testimonia, & praesertim Illustrissimi Comitis Octaviani Lango-
sebi & viri optimi, nec unquam satis laudati Luca Contilis Senensis. Siquidem, hic sanitatem pluribus simul morbis
impeditam, & quae à peritissimis Medicis restitui nunquam potuit, Antimonio acceptam refert. Nam inter cetera mira-
cula huiusce medicamenti scribit ipse quod sumptis à se tantum quatuor granis Stribi nostri, evomuit paulo post 12 tere-
bintinae resinae portiones, quas ante dies quindecim voraverat: quin etiam ille constanter asseverat, se quam plures sa-
nasse, qui ferè deplorati agebant. Quo fit ut non possim non mirari nonnullorum Medicorum ingenium, qui Stribium ve-
nenum mortiferum esse contendunt. Siquidem si medicos se esse profitentur, miror quidem eos hactenus non observasse,
rara admodum, vel fortasse nulla reperiri medicamenta, alvum electivè exoluentia, tam praevis, quam recentioribus medi-
cis usurpata, quae venenosam vim non sortiantur. Elleborum enim utrunq; Tithymalorum omne genus, Pituisa, Elate-
rium, Colocynthis, Turpetum, Thapsia, Bryonia, Scammonium, Thymelaea, Chamaelea, Cyclaminus, & inter fossilia Ar-
menius atq; caruleus lapis, quin etiam aris Squama, quae passim usi sunt antiqui ad eundem subeuntes aquas, venenosa
vi haud sunt expertia. Atqui quid dicent de Sandaraca atrocissimo veneno? An non eandem propinat cum melle,
aut in catapotis Dioscorides asthmaticis, & aliis in discrimine laborantibus? Nonne & Avicenna Arsenicum quoque
propinat? Hoc mihi dixisse sat est ut illorum negligentiam, ne dicam inscitiam palam faciam, qui suis opinionibus (pro-
fecto videndus) inherentes, non vident dum Stribium vituperant, interim tamen a praescriptis medicamentis non abstinere,
imò iis quoti die utuntur, quorum nonnulla longè magis sumentibus nocent quam Stribium: Cujus usus (ubi rectè in mor-
bis conveniat) saepe miraculi speciem affert, & praesertim ubi propinetur ex catapotis ex Gal. hiera paratis. Quamobrem
optimè si dicunt ac intelligunt, qui in deploratis ferè morbis diuturnis, ipsiq; pituitosis & melancholicis curandis Stribi-
um Dei manum appellant. Caterum sunt qui asserunt, Stribium sumptum non secus humana corpora ab omnibus excre-
mentis expurgare, atq; idem reliqua omnia metalla, instrumentaq; metalla, quibus adjicitur, ab omni sorde purificat.
Atqui in ejus exhibitione diligenter animadvertere oportet, ut illud quod exhibetur, sit preparatum. Hanc ob causam nos
hic ejus parandi rationem subjiciemus. Eligito Stribium optimum, quod (ut Dioscorides tradit) splendidissimum est, mo-
doq; niredularum emicat, contractu crustosum friabile, nihil terra aut sordidi habens. Id primum in pulverem facito: de-
inde in fictile vas, quod amplum sit, conjicito: tum demum carbonibus succensis ad calcinandum (ut chymistarum verbo
utitur) sub dio exposito, atq; interim cochleari ferreo spatula ita Myropolis appellata, continuè movero. Hoc verò dum fit,
fumus exhalat tenuis, sulphur & auripigmentum redolens, qui si ore attrahatur, crebras interdum excitat vomitiones:
quapropter qui versant, ventis terga opponant. Versare autem assidue expedit, nam si paulisper cesses, vel comburitur Stri-
bium, vel liquefit. Versato itaq; diligenter, quousq; in glebas concrecat: quas cum videris, sublato ab igne fictili, quod
concrevit, rursus in pulverem redigito, atq; eidem fictili impositum carbonibus reddito, assidueq; versato. Id quod tories
repetendum est, quoties coalescentes glebulae postulerint. Ita quoq; tandem versare convenit, quoad corpuscula illa, quae
emicant, splendorem suum amiserint, vapor omnis cessaverit, fetor obsoleverit, & Stribium in calcem conversum subal-
bicantis cineris colorem contraxerit: perfecti autem operis signum erit si prunis ardentibus inspergatur, nihilq; prorsus fu-
mi emittat. Post haec sumito huiusce calcis, exempli gratia, libram mediam, chrysocollae factitiae, semunciam. Deinde chry-
socollam & Stribium terito in tenuem pulverem, mox omnia simul miscero, atq; in fictili fusorio, quo utuntur aurifices,
igni vehementi admoveo: vas super laterem aut testaceum aliquod, fictili olla fundum prius collocatum, & fictili oper-
culo contextum, carbonibus accensis circumdato: Veruntamen opera pretium est in hoc magnam adhibere diligentiam, ne
res illa comburantur. Quare tenacula ferrea sublato cooperculo, nonnunquam inspicendum est an colliquecat. Nam ubi
colliquantur

Histor. 2.

Histor. 3.

Histor. 4.

Stribi
Hyacin-
thini pa-
randi ra-
tio.

